

CCLVIII.

TRAGOPOGON CAPENSIS.

Promontorium bonæ Spei patria est, Radix ramosa & biennis altero anno caulem promit solitarium, tres quatuorve pedes longum, basi digitum crassum, erectum, supra medium ramosum, pilis albis rigidisque hispidum, subangulatum; caule ramis ramulisque in pedunculos semipedales, unifloros, erectos, infra florem incrassatos, & parumper dumtaxat hispidulos abeuntibus; atque hos una cum ramis teretes. Folia runcinata, acutiuscula, sessilia, alterna hispidula, spinoso-dentata, rigidula, squarroso-
la, nec tamen pungentia. Calycis viridis, pilis albis ad dorsum nec in oris hispidi, in flore oblongi, in fructu valde aucti & ex latissimā basi conici, foliola fere octo, lanceolata, acuta, concava & subæqualia. Corolla flava, uncialis diametri. Semina incurva, scabra. Pappus stipitatus, plumosus, niveus. Receptaculum nudum. Floret apud nos Junio.

CCLIX.

IRIS XIPHIUM. *Linn. Syst. pag. 90.*

Iris bulbosa latifolia, caule donata. Bauh. pin. 38.

Ingens agmen Iridum bulbosarum apud Bauhinum, Bellerum aliosque scriptores reperitur, quas plerasque Linnæus sub Xiphio comprehendisse videtur, ceu unicam constituentes speciem, quas tamen in duas distingui posse, autumo, quarum prima hæc sit; quæ plerumque major est, colore floris